OFFICIVM S. APOLLINARIS EPISCOPI ET MARTYRIS.

Opera Collegij Germanici, & Hungarici in lucem editum.



BIBLIOTECA NA[illegible] ROMA VITT[illegible]

ROMAE,
Ex Typographia Andreæ Phæi.
MDCXLV.
Superiorum Permiſſu.

Bibliot. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu
3
Digitized by Google

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal.

A. Sacratus Epiſcopus Comaclen. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Pandolphus, Reuerendiſſimi P. Mag. Sac. Pal. Socius.

Digitized by Google

IN FESTO S. APOLLINARIS EPISCOPI, ET MARTYRIS.

Ad Veſperas.

Antiphona. Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.

Pſalmus 109.

DIXIT Dominus Domino meo: ſede à dextris meis:

Donec ponam inimicos tuos, * ſcabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: * dominare in medio inimicorum tuorum.

T ecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum: * ex vtero ante luciferum genui te.

I urauit Dominus, & non pœnitebit eum: * Tu es Sacerdos in ęternum, ſecundum ordinem Melchiſedec.

D ominus à dextris tuis: * confregit in die iræ ſuæ reges.

I udicabit in nationibus, implebit ruinas: * conquaſſabit capita in terra multorom.

D e torrente in via bibet: * propterea exaltabit caput.

Aña Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.

Aña Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, dicit Dominus.

Pſalmus 110.

C Onfitebor tibi Domine in toto corde meo: * in conſilio iuſtorum

rum & congregatione.

M agna opera Domini: * exquiſita in omnes voluntates eius.

C onfeſſio, & magnificentia opus eius:* & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.

M emoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus: * eſcam dedit timentibus ſe.

M emor erit in ſæculum teſtamenti ſui: * virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo.

V t det illis hęreditatem Gentium: * opera manuum eius veritas, & iudicium.

F idelia omnia mandata eius, confirmata in ſæculum ſęculi: * facta in veritate, & æquitate.

R edemptionem miſit Dominus populo ſuo: * mandauit in æternum teſtamentum ſuum.

S anctum & terribile nomen eius: * initium ſapientiæ, timor Domini.

I ntellectus bonus omnibus facientibus eum:*

eum: * laudatio eius manet in ſæculum ſeculi.*

Aña Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, dicit Dominus.

Aña. Qui mihi miniſtrat, me ſequatur: & vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus.

Pſalmus. 111.

BEatus vir qui timet Dominum: * in mandatis eius volet nimis.

Potens in terra erit ſemen eius: * generatio rectorum benedicetur.

Gloria & diuitiæ in domo eius: * & iuſtitia eius manet in ſæculum ſeculi.

Exortum eſt in tenebris lumen rectis: * miſericors, & miſerator & iuſtus.

Iucundus homo, qui miſeretur, & commodat, diſponet ſermones ſuos in iudicio: * quia in æternum non commouebitur.

In memoria æterna erit iuſtus: * ab auditione

ditione mala non timebit.
Paratum cor eius ſperare in Domino, confirmatum eſt cor eius: * non commouebitur donec deſpiciat inimicos ſuos. *
Diſperſit, dedit pauperibus, * iuſtitia eius manet in ſęculum ſęculi: * cornu eius exaltabitur in gloria.
Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet: * deſiderium peccatorum peribit.
Aña. Qui mihi miniſtrat, me ſequatur: & vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus.
Aña. Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui eſt in cælis, dicit Dominus.

Pſalmus 112.

LAudate pueri Dominum: * laudate nomen Domini.
Sit nomen Domini benedictum: * ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.
A ſolis ortu vſque ad occaſum: * laudabile

bile nomen Domini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dominus :*& ſuper cælos gloria eius.

Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat : * & humilia reſpicit in cælo, & in terra ?

Suſcitans à terra inopem : * & de ſtercore erigens pauperem.

Vt collocet eum cum principibus : * cum principibus populi ſui.

Qui habitare facit ſterilem in domo : * matrem filiorum lætantem.

Aña. Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui eſt in cælis, dicit Dominus.

Aña. Volo Pater, vt, vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus.

Pſalmus 116.

LAudate Dominum omnes gentes:* laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: * & veritas Domini

manet

manet in æternum.

Aña. Volo Pater, vt, vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus.

CAPITVLVM.

Beatus vir, qui ſuffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.

Hymnus.

Deus tuorum militum
Sors, & Corona, præmium.
Laudes canentes Martyris
Abſolue nexu criminis.

Hic nempe mundi gaudia,
Et Blanda fraudum pabula,
Imbuta felle deputans
Peruenit ad cæleſtia.

Pœnas cucurrit fortiter,
Et ſuſtulit viriliter,
Fundenſq. pro te Sanguinem

 Aeterna

Aeterna dona poſſidet.
O b hoc precatu ſupplici
Te poſcimus pijſſime:
In hoc triumpho Martyris
Dimitte noxam ſeruulis.
L aus & perennis gloria
Patri ſit, atque Filio,
Sancto ſimul Paraclito
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Gloria & honore coronaſti eum Domine. ℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Ad Magnificat Antiphona.

Iſte ſanctus pro lege Dei ſui certauit vſque ad mortem;& à verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat ſupra firmam petram.

Can-

Canticum Beatæ Mariæ Virginis.

MAGNIFICAT: * anima mea Dominum.

Et exultauit ſpiritus meus. * in Deo ſalutari meo.

Quia reſpexit humilitatem ancillę ſuę: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens eſt: * & ſanctum nomen eius.

Et miſericordia eius à progenie in progenies: * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo: * diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede: * & exaltauit humiles.

Eſurientes impleuit bonis: * & diuites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſrael puerum ſuum: * recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad patres noſtros: * Abraham, & ſemini eius in ſæcula.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui, &c. Aña. Iſte ſanctus pro lege Dei ſui certauit vſque ad mortem, & a verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat ſupra firmam petram.

ORATIO.

DEVS, fideliũ remunerator animarum, qui hunc diem beati Apollinaris ſacerdotis tui martyrio conſecraſti: tribue nobis quæſumus famulis tuis: vt cuius venerandam celebramus feſtiuitatem, precibus eius indulgentiam conſequamur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filiũ tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Infra oct. S. Apollinaris lect. primi noct. quotidie leguntur de ſcriptura occurrenti.

Sexta die fit de SS. Nazario, & ſoc.

In

In ſecundis Veſperis omnia vt in primis, ſed loco vlt. dicitur Pſal. ſequens.

Pſalmus 115.

CRedidi propter quod locutus ſum: * ego autem humiliatus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo: * omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino:* pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem ſalutaris accipiam:* & nomen Domini inuocabo.

Vota mea Domino reddam, coram omni populo eius:* pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.

O Domine quia ego ſeruus tuus:* ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis:* & nomen Domini inuocabo.

Vota mea Domino reddam, in conſpectu omnis populi eius:* in atrijs domus Domini, in medio tui Hieruſalem.

℣. Iuſtus vt palma florebit. ℟. Sicut cedrus libani multiplicabitur. Ad mag.

Aña. Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam & ſequatur me.

ORATIO.

DEVS, fidelium remunerator animarum, qui hunc diem beati Apollinaris ſacerdotis tui martyrio conſecraſti: tribue nobis quęſumus famulis tuis: vt cuius venerandam celebramus feſtiuitatem, precibus eius indulgentiam conſequamur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus. Per omnia ſæcula ſæçulorum. Amen.

IN FESTO S. APOLLINARIS Epiſcopi, & Martyris.

Ad Matutinum. Inuitatorium.

Regem Martyrum Dominum, † Venite Adoremus.

Pſalmus. 94.

VEnite exultemus Domino iubilemus Deo ſalutari noſtro : præoccupemus faciem eius in confeſsione, & in Pſalmis iubilemus ei. Regem Martyrum Dominum. Venite adoremus.

Quoniam Deus magnus Dominus: & Rex magnus ſuper omnes Deos: quoniam non repellet Dominus plebem ſuam: quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit. Venite adoremus.

Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius: venite adoremus, & procidamus ante Deũ, ploremus coram Domino, qui

fecit

fecit nos,quia ipſe eſt Dominus Deus noſter,nos autem populus eius, & oues paſcuę eius. Regem Martyrum Dominum. Venite adoremus.

Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut,in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto,vbi tentauerunt me patres veſtri: probauerunt, & viderunt opera mea. Venite adoremus.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic: & dixi, ſemper hi errant corde, ipſi vero non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Regem Martyrum Dominum. Venite adoremus.

Gloria Patri,& Filio,& Spiritui ſancto &c. Venite adoremus.

Regem Martyrum Dominum. Venite adoremus.

Hymnus.

DEus tuorum militum
Sors,& corona præmium
Laudes

Laudes canentes Martyris
Abſolue nexu criminis.
Hic nempe mundi gaudia,
Et Blanda fraudum pabula,
Imbuta felle deputans
Peruenit ad cœleſtia.
Pœnas cucurrit fortiter,
Et ſuſtulit viriliter,
Fundenſq; pro te ſanguinem
Aeterna dona poſſidet.
Ob hoc precatu ſupplici
Te poſcimus pijſſime:
In hoc triumpho Martyris
Dimitte noxam ſeruulis.
Laus, & perennis gloria
Patri ſit, atque Filio,
Sancto ſimul Paraclito
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Digitized by Google

In primo Nocturno Antiphona.

In lege Domini fuit voluntas eius die, ac nocte.

Pſalmus 1.

BEATVS vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum, non ſtetit :* & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

Sed in lege Domini voluntas eius, * & in lege eius meditabitur die, ac nocte.

Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus Aquarum: * quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

Et Folium eius non defluet :* & omnia quæcumque faciet, proſperabuntur.

Non ſic impii, non ſic : * ſed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ,

¶ Ideò non reſurgent impii in iudicio:* neque peccatores in concilio iuſtorum.

Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum: * & iter impiorum peribit.

Gloria Patri, &c.

Aña. In lege Domini fuit voluntas eius die, ac nocte.

Aña. Prædicans Præceptum Domini conſtitutus eſt in monte ſancto eius

Pſalmus 2.

QVare fremuerunt gentes: * & populi meditati ſunt inania?

Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum * aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.

Dirumpamus vincula eorum: * & proijciamus a nobis iugum ipſorum.

Qui habitat in Cælis, irridebit eos: * & Dominus ſubſannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira ſua: * & in furore ſuo conturbabit eos.

E go autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum eius:* prędicans præceptum eius.

D ominus dixit ad me:* Filius meus es tu ego hodie genui te.

P oſtula à me,& dabo tibi gentes hæreditatem tuam:* & poſſeſſionem tuá terminos terræ.

R eges eos in virga ferrea:* & tamquam vas figuli confringes eos.

E t nunc Reges intelligite:* erudimini qui iudicatis terram.

S eruite Domino in timore:* & exultate ei cum tremore.

A pprehendite diſciplinam: ne quando iraſcatur Dominus:* & pereatis de via iuſta.

C um exarſerit in breui irà eius:* beati omnes, qui confidunt in eo.

G loria Patri &c.

Aña. Prædicans præceptum Domini cõſtitutus eſt in monte ſancto eius.

Aña. Voce mea ad Dominum clamaui & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.

Pſal-

Pſalmus 3.

DOmine quid multiplicati ſunt qui tribulant me :* multi inſurgunt aduerſum me.

Multi dicunt Animæ meæ:* non eſt ſalus ipſi in Deo eius.

Tu autẽ Domine ſuſceptor meus es :* gloria mea,& exaltans caput meum.

Voce mea ad dominũ clamaui:*&exaudiuit me de monte ſancto ſuo.

Ego dormiui,& ſoporatus ſum,* & exurrexi: quia Dominus ſuſcepit me.

Non timebo millia populi circundantis me:* exurge Domine, ſaluum me fac Deus meus.

Quoniã tu percuſſiſti, omnes aduerſantes mihi ſine cauſa :* dentes peccatorum contriuiſti.

Domini eſt ſalus :* & ſuper populum tuum benedictio tua.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui, &c.

Aña.

Aña. Voce mea ad Dominum clamaui & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.

℣. Gloria,& honore coronaſti eũ Dñe.

℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Pater noſter.

Abſolutio Exaudi Domine.

℣. Iube domne. Benedictio. Benedictione perpetua.

In primo Nocturno

De Actibus Apoſtolorum. Lect. j. Cap. 20.

A Mileto Paulus mittens Epheſum, vocauit Maiores natu Eccleſiæ. Qui cum veniſſent ad eum, & ſimul eſſent dixit eis: Vos ſcitis à prima die,qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſeruiens Domino cum omni humilitate, & lachrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex inſidijs

Iu-

Iudæorum: quo modo nihil ſubtraxerim vtilium, quominus annunciarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos, teſtificans Iudæis, atque Gentibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Et nunc ecce alligatus ego ſpiritu, vado in Ieruſalem, quę in ea ventura ſint mihi, ignorans; niſi quod Spiritus ſanctus, per omnes Ciuitates mihi proteſtatur, dicens: quoniam vincula, & tribulationes Ieroſolymis me manent: Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretioſiorem quam me dummodo conſummē curſum meum, & miniſterium verbi, quod accepi à Domino Ieſu teſtificari Euangelium gratiæ Dei.

℟. Iſte ſanctus pro lege Dei ſui certauit vſque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit: * Fundatus enim erat ſupra firmam petram.
℣. Iſte eſt qui cōtēpſit vitam mundi, &

per-

peruenit ad cæleſtia regna.* Fundatus. Benedictio. Vnigenitus Deus filius.

Lectio ii.

ET nunc ecce ego ſcio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſiui prædicans regnum Dei. Quapropter conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum à ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi, quo minus annunciarem omne conſilium Dei vobis. Attendite vobis, & vniuerſo gregi in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi, & ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducāt diſcipulos poſt ſe. Propter quod vigilate, memoria retinētes, quoniam per triennium nocte, & die non ceſſaui cum lachrymis monens vnumquemque veſtrum.

℟. Iu-

℟. Iuſtus germinabit ſicut lilium :* & florebit in æternum ante Dominum. ℣. Plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri.* Et florebit Benedictio Spiritus ſancti gratia.

Lectio iiij.

ET nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt ædificare, & dare hęreditatem in ſanctificatis omnibus. Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupiui, ſicut ipſi ſcitis: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtę. Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes, oportet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi Domini Ieſu, quoniam ipſe dixit: Beatius eſt magis dare, quam accipere. Et cum hęc dixiſſet, poſitis genibus ſuis orauit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus eſt omniũ: & procumbentes ſuper collum Pauli,

oſculabantur eum, dolentes maximè in verbo, quod dixerat, quoniam amplius faciem eius non eſſent viſuri; & deducebant eum ad Nauem. Tu autem &c.

℟. Iſte cognouit iuſtitiam, & vidit mirabilia magna; & exorauit altiſſimum:* Et inuentus eſt in numero ſanctorum. ℣. Iſte eſt qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad cœleſtia Regna.* Et inuentus. Gloria.* Et inuentus.

¶ In ſecundo nocturno Antiphona.

Filii hominum ſcitote: quoniam Dominus ſanctum ſuum mirificauit.

Pſalmus 4.

CVM inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ: * in tribulatione dilataſti mihi.

Miſerere mei,* & exaudi orationẽ meã.

Filij hominum vſquequo graui corde? *

de? * vt quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium?

E ſcitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum: * Dominus exaudiet me, cum clamauero ad eum.

I raſcimini, & nolite peccare, * quę dicitis in cordibus veſtris: in cubilibus veſtris compungimini.

S crificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino: * multi dicunt, Quis oſtendit nobis bona?

S ignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui domine: * dediſti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, & olei ſui: * multiplicati ſunt.

I n pace in idipſum * dormiam, & requieſcam.

Q uoniam tu Domine ſingulariter in ſpe: * conſtituiſti me.

Aña. Filij hominum ſcitote, quia Dominus ſanctum ſuum mirificauit.

Aña Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti eum Domine.

Pſalmus 5.

V Erba mea auribus percipe Domi-
ne:* intellige clamorem meum:
Intende voci orationis meæ: * Rex
meus, & Deus meus.
Q uoniam ad te orabo* Domine mane
exaudies vocem meam.
M ane aſtabo tibi,& videbo:*quoniam
non Deus volens iniquitatem tu es.
N eque habitabit iuxta te malignus:*
neque permanebunt iniuſti ante
oculos tuos.
O diſti omnes, qui operantur iniquita-
tem:* perdes omnes qui loquun-
tur mendacium.
V irum ſanguinum,& doloſum abomi-
nabitur Dominus:* ego autem in
multitudine miſericordiæ tuæ,
I ntroibo in domum tuam:* ado-
rabo ad templum ſanctum tuum in
timore tuo.
Domine deduc me in iuſtitia tua:*pro-
pter

pter inimicos meos dirige in conſpectu tuo viam meam.

Quoniam non eſt in ore eorum veritas: * cor eorum vanum eſt.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſe agebant; * iudica illos Deus.

Decidant à cogitationibus ſuis, ſecundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: * quoniam irritauerunt te Domine.

Et lætentur omnes, qui ſperant in te: * in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: * quoniam tu benedices iuſto.

Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuę: * coronaſti nos.

Aña. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti eum Domine.

Aña. In vniuerſa terra gloria, & honore coronaſti eum.

Pſal-

Pſalmus 8.

DOmine Dominus noſter:* quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!

Quoniam eleuata eſt magnificentia tua:* ſuper Cælos.

Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos:* vt deſtruas inimicum, & vltorem.

Quoniam videbo Cęlos tuos opera digitorum tuorum:* lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti.

Quid eſt homo, quod memor es eius:* aut filius hominis, quoniam viſitas eum?

Minuiſti eum paulo minus ab Angelis, gloria, & honore coronaſti eum:* & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius:* oues, & boues vniuerſas, inſuper, & pecora campi.

℣. Volucres Cæli, & piſces maris: * qui perambulant ſemitas maris.

Domine Dominus noſter: quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!

Aña. In vniuerſa terra gloria, & honore coronaſti eum. ℣. Poſuiſti Domine ſuper caput eius. ℟. Coronam de lapide pretioſo. Pater noſter. Abſol. Ipſius pietas. ℣. Iube Domine. Benedictio. Deus pater omnipotens.

In ſecundo Nocturno. Lectio iiij.

APOLLINARIS cum Principe Apoſtolorum Anthiochia Romam venit: à quo ordinatus Epiſcopus Rauennam ad Chriſti Domini predicandum Euangelium mittitur. vbi cum ad Chriſti fidem plurimos conuerteret: captus ab Idolorum ſacerdotibus grauiter cæſus eſt: cumq; ipſo orante Bonifacius, nobilis vir, qui diu mutus fuerat, lo-

queretur,

quereretur, eiuſq; filia immundo ſpiritu liberata eſſet, iterum eſt in illum commota ſeditio. Itaq; virgis cæſus, ardentes carbones nudis pedibus premere cogitur: quem cum ſubiectus ignis nihil læderet, eiicitur extra Vrbem.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum. * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. deſcenditque cum illo in foueam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit. Benedictio. Chriſtus perpetuæ.

Lectio v.

IS verò latens aliquandiu cum quibuſdam Chriſtianis, inde profectus eſt in Aemiliam, vbi Rufini Patricii filiam mortuam ad vitam reuocauit: vt propterea tota Rufini familia in Ieſum Chriſtum crederet.

Quare

Quare vehementer incenſus Prçfectus accerſit Apollinarem, & cum eo grauius agit, vt finem faciat diſſeminandi in Vrbe Chriſti fidem. Cuius cum Apollinaris iuſſa negligeret. equuleo cruciatur; in cuius plagas aqua feruens infunditur, ſaxoq; os tunditur, mox vinculis ferreis conſtrictus includitur in carcere. Quarto die impoſitus in nauem, mittitur in exilium; ac facto naufragio venit in Myſiam inde ad ripam Danubii, poſtea in Thraciam. Tu autem &c.

℟. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine. * Et voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. ℣. Quoniam prçuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. * Et voluntate. Benedictio. Ignem ſui amoris &c.

Lectio vj.

CVm autem in Serapidis templo Dæmon ſe reſponſa daturum negaret, dum ibidem Petri Apoſtoli diſcipulus moraretur, diu conquiſitus inuentus eſt Apollinaris: qui iterum iubetur nauigare. Ita reuerſus Rauennam, ab illis Idolorum ſacerdotibus accuſatus, Centurioni cuſtodiendus traditur: qui cum occultè Chriſtum coleret, noctu Apollinarem dimiſit. Re cognita, Satellites eum perſequuntur: & plagis in itinere confectum, quod mortuum crederent, relinquunt. Quem cum inde Chriſtiani ſuſtuliſſent, ſeptimo die exhortans illos ad fidei conſtantiam, martyrij gloria clarus vitâ migrauit. Cuius corpus propè murum vrbis ſepultum eſt.

℟. Stola iucunditatis induit eum Dominus.*

nus.* & coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput eius.

℣. Cibauit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum. * Et coronam. Gloria.* Et coronam.

In tertio Noct. Antiphona.

IVſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius.

Pſalmus 10.

IN Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: * tranſmigra in montem ſicut paſſer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra: * vt ſagittent in obſcuro rectos corde.

Quoniam quæ perfeciſti, deſtruxe-

Digitized by Google

runt: * iuſtus autem quid fecit?

D ominus in templo ſancto ſuo: * Dominus in cælo ſedes eius.

O culi eius in pauperem reſpiciunt: * palpebræ eius interrogant filios hominum.

D ominus interrogat iuſtum, & impiũ: * qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

P luet ſuper peccatores laqueos: * ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.

Q uoniam iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit: * æquitatem vidit vultus eius.

G loria Patri, &c.

Aña. Iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius.

Aña. Habitabit in tabernaculo tuo; requieſcet in monte ſancto tuo.

Pſalmus 14.

DOmine, quis habitabit in tabernaculo tuo, *aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?

Qui ingreditur ſine macula: *& operatur iuſticiam.

Qui loquitur veritatem in corde ſuo: * qui non egit dolum in lingua ſua.

Nec fecit proximo ſuo malum: * & opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos.

Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus: * timentes autem Dominum glorificat.

Qui iurat proximo ſuo, & non decipit: * qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.

Qui facit hæc: * non mouebitur in æternum.

Gloria Patri, &c.

Ana. Habitabit in tabernaculo tuo: requieſcet

quieſcet in monte ſancto tuo.

Aña. Poſuiſti Domine ſuper caput eius, coronam de lapide pretioſo.

Pſalmus 20.

DOmine in virtute tua lætabitur Rex:* & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer:*

Deſiderium cordis eius tribuiſti ei:* & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum.

Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis:* poſuiſti in capite eius coronã de lapide pretioſo.

Vitam petijt à te:* & tribuiſti ei longitudinem dierum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo:* gloriam, & magnum decorem impones ſuper eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in ſæculum ſæculi:* lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam

Quoniam Rex ſperat in Domino:* & in miſericordia Altiſſimi non commouebitur.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis:* & dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.

Pones eos vt clibanum ignis, in tempore vultus tui:* Dominus in ira ſua conturbabit eos,* & deuorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes:* & ſemen eorum à filijs hominum.

Quoniam declinauerunt in te mala:* cogitauerunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire.

Quoniam pones eos dorſum:* in reliquiis tuis præparabis vultum eorũ.

Exaltare Domine in virtute tua:* cantabimus, & pſallemus virtutes tuas.

Gloria Patri, &c.

Aña. Poſuiſti Domine ſuper caput eius coronam de lapide pretioſo. ℣. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo. ℟. Gloriam, & magnum decorem impones

ſuper

ſuper eum. Pater noſter. Abſolutio. A vinculis, ℣. Iube. Benedictio. Euang. Lect.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſecundum Lucam Lectio vij.

IN illo tempore: facta eſt contentio inter Diſcipulos, quis eorum videretur eſſe maior. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

REGNVM. Dei non eſt de hoc mundo. Non ergo ęqualitatis homini ad Deum, ſed ſimilitudinis æmulatio eſt. Solus enim Chriſtus eſt plena imago Dei propter expreſſam in ſe paternæ claritudinis vnitatem. Iuſtus autem homo ad imaginem Dei eſt, ſi propter imitandam diuinæ conuerſationis ſimilitudinem mundum hunç Dei cognitione con-

temnat; voluptateſq; terrenas verbi perceptione deſpiciat quo alimur in vitam, vnde,& corpus Chriſti edimus, vt vitę ęternę poſſimus eſſe participes. Tu autem &c.

℟. Corona aurea ſuper caput eius: expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria, honoris, & opus fortitudinis. ℣. Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide prætioſo. Expreſſa. Benedictio. Cuius feſtum colimus.

Lectio viii.

NOn enim victus, & potus nobis præmij loco ſpondetur, & honoris, ſed communicatio gratię cœleſtis, & vitæ. Neque duodecim Throni tamquam aliqua corporalis ſunt receptacula ſeſſionis, ſed quia ſecundum diuinam ſimilitudinem iudicat Chriſtus cognitione cordium, non interrogatione factorum, virtutem remune-

rans, Impietatemq; condemnans: Ita & Apoſtoli in iudicium ſpiritale formantur remuneratione fidei, & execratione perfidiæ, virtute errorem redarguentes, ſacrilegos odio perſequentes. Tu autem &c.

℟. Hic eſt verè Martyr, qui pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fudit. Qui minas iudicum non timuit, neç terrenæ dignitatis gloriam quæſiuit, ſed ad Cæleſtia Regna peruenit. ℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi Regnum Dei. *Qui. Gloria. *Qui. Benedictio. Ad ſocietatem.

Lectio ix.

COnuertamur igitur, & caueamus, ne in perditionem aliqua inter nos de prelatione poſſit eſſe contentio. Si enim contendebant Apoſtoli, non excuſationi obtenditur, ſed cautioni proponitur. Si Petrus aliquando

quando conuertitur, quia primam Dei ſecutus eſt vocem : quis poteſt dicere ; citò ſe eſſe conuerſum ? Caue ergo iactantiam : caue ſæculum : ille enim confirmare iubetur fratres ſuos, qui dixit : Omnia reliquimus, & ſecuti ſumus. Tu autem, Domine Miſerere nobis.

Te Deum laudamus pro vt infra pag. 72.

Ad laudes, Horas, & veſperas vide infra pagina 74 & ſequentibus.

Digitized by Google

Secunda die infra octauam.

In primo nocturno lectiones de ſcriptura occurrenti.

In ſecundo nocturno ſermo S. Auguſtini Epiſcopi. Lectio iv.

TRIVMPHALIS beati Martyris Apollinaris dies hodie nobis anniuerſaria celebritate recurrit: cuius glorificationi, ſicut congaudet Eccleſia, ſic eius proponit ſequenda veſtigia. Si enim compatimur,& conglorificabimur. In cuius glorioſo agone duo nobis pręcipuè conſideranda ſunt, indurata videlicet tortoris ſæuitia,& Martyris inuicta patientia. Sæuitia, tortoris, vt eam deteſtemur patientia Martyris,vt eam imitemur. Audi Pſalmiſtam aduerſus malitiam increpantem: Noli æmulari in malignantibus: quoniam tamquam fœnum velociter areſcent. Quod autem

tem aduerſus, malignantes patientia exhibenda ſit, audi Apoſtolum ſuadētem: Patientia vobis neceſſaria eſt, vt reportetis promiſſiones. Tu autem Domine, &c.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum. * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Deſcenditque cum illo in foueam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit. Benedictio. Chriſtus perpetuæ.

Lectio v.

Coronata itaque beati Martyris patientia, mancipata eſt æternis cruciatibus, tortoris incorrecta malitia. Hoc attendens in agone ſuo glorioſus Chriſti athleta, non exhorruit carcerem, ad imitationem capitis ſui tolerauit probra, ſuſtinuit irriſiones, flagella non timuit: & quot ante mortem pro Chriſto pertulit ſup plicia,

Digitized by Google

plicia, tot ei de ſe obtulit ſacrificia. Quod enim propinante Apoſtolo biberat, alte retinebat: Quia non ſunt condignę paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis: & quia momentaneum hoc & leue noſtrę tribulationis, æternum gloriæ pōdus operatur in cęlis. Huius promiſſionis amore à terrenis ſuſpenſus, & pręguſtata ſupernę ſuauitatis dulcedine ineffabiliter affectus dicebat cum Pſalmiſta. Quid mihi eſt in cælo? & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea,& cor meum, Deus cordis mei,& pars mea Deus in æternum. Tu autem Domine,&c.

℟. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine. Et voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. ℣. Quoniam præueniſti eum,in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Et voluntate. Benedictio. Ignem ſui amoris,&c.

Le-

Lectio vj.

COntemplabatur enim, quantum in ænigmate infirmitas humana oculum mentis in æternitate figere poteſt, quanta ſint ſupernæ ciuitatis gaudia: & ea narrare non ſufficiens admirando clamabat: Quid mihi eſt in cęlo? quaſi diceret: excedit vires meas, excedit facultatem eloquentiæ meæ, tranſcendit capacitatem intelligentiæ meę illud decus, illa gloria, illa celſitudo, qua nobis à conturbatione hominum, remotis in abſcondito faciei ſuæ Ieſus Chriſtus Dominus noſter reformauit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Huius perfectæ libertatis contemplatione, nullum vitabat periculum, nullum horrebat ſupplicium: & ſi millies poſſet mori, non putabat ſe hanc dignè poſſe aliqua ratione promereri. Tu autem domine &c.

℞. Stola

℟. Stola iucunditatis induit eum Dominus: & coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput eius.

℣. Cibauit illum Dominus pane vitæ & intellectus: & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum. Et coronam. Gloria. Et coronam.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſecundum Lucam.

Lectio vij.

IN illo tempore facta eſt contentio inter Diſcipulos, quis eorum videretur eſſe maior. Et reliqua.

De Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

DEINDE contuendum eſt, quia non omnis honorificentiæ ſtudium humilitas definitur: poteſt enim deferre alicui, propter ſæculi

gratiam,

gratiam, potentiæ meritum, vtilitatiſque contuitum. Tua ędificatio quęritur, non alterius honor: & ideò vna datur omnibus forma ſententiæ, vt non de prelatione iactantia ſit, ſed de humilitate contentio, eò quod ſe Dominus proponit imitandum. Egebamus omnium, ipſe nullo: & tamen præbuit ſe humilitatis authorem, cum Diſcipulis miniſtraret. Tu autem Domine &c.

℟. Corona aurea ſuper caput eius, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria, honoris, & opus fortitudinis. ℣. Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Expreſſa. Benedictio. Cuius feſtum colimus.

Lectio viij.

QVuod vtique faciebat non ſtudio vtilitatis, ſed exercitatione virtutis. Petrus autem, & ſi ſpiritu promptus; corporis tamen adhuc infirmus

affectu, denunciatur Dominum negaturus: Neque enim poterat diuinæ conſtantiam intentionis æquare. Paſſio Domini æmulos habet; pares non habet. Ita non reprehendo quod negauit, laudo quod fleuit. Aliud commune conditionis eſt, aliud ſpeciale virtutis. Et ideo inſtruitur ante cauendum, non cogitur ad negandum. Tu autem Domine &c.

℟. Hic eſt verè Martyr, qui pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fudit. Qui minas iudicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæſiuit, ſed ad Cæleſtia Regna peruenit. ℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi Regnum Dei. Qui. Gloria. Qui Benedictio ad ſocietatem.

De

De vigilia Sancti Iacobi, Apoſtoli.

Lectio ix.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioãnem.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: Hoc eſt præceptum meum: vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorij Papæ.

CVM cuncta ſacra eloquia plena ſint dominicis prȩceptis, quid eſt quod de ſola dilectione, quaſi de ſingulari mandato, Dominus dicit, Hoc eſt prȩceptum meum, vt diligatis inuicem: niſi, quia omne mandatum de ſola dilectione eſt: & omnia vnum præceptum ſunt? quia quicquid præcipitur, in ſola charitate ſolidatur. Vt enim,

multi arboris rami ex vna radice prodeunt, ſic multæ virtutes ex vna charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non maneat in radice charitatis. Tu autem Domine miſerere nobis.

Oratio.

DA quæſumus omnipotens Deus: vt beati Iacobi Apoſtoli tui quã præuenimus veneranda ſolemnitas, & deuotionem nobis augeat, & ſalutem. Per Dominum.

Tertia die infra oct. S. Apol. fit de S. Iac. ſine vlla commem. octauæ.

Quarta die infra oct. fit de S. Anna Matre B. M. cum com: octauæ.

Pro comem. S. Pantaleonis Mar. in 2. Veſp. diei quartæ infra oct.

Aña. Iſte Sanctus pro lege Dei ſui certauit vſque ad mortem, & a verbis impiorum non timuit: fundatus enim

erat

erat ſupra firmam petram ℣. Gloria, & honore coronaſti eum Domine. ℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Oratio.

PRęſta quęſumus omnipotens Deus, vt intercedente beato Pantaleone martyre tuo, & a cunctis aduerſitatibus liberemur in corpore: & a prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum.

Quinta die infra octauam S. Apollinaris in ſecundo Nocturno.

DE EXPOSITIONE Sancti Ambroſij Epiſcopi in Pſalmum centeſimum decimum octauum. Lectio iiij.

PRINCEPES perſecuti ſunt me gratis: & à verbis tuis trepidauit cor meum. Bene hoc Martyr dicit, qui iniuſte perſecutionum

num tormenta ſuſtineat, qui nihil rapuerit, nullum violentus oppreſſerit, nullius ſanguinem fuderit, nullius rerum putauerit eſſe violandum: qui nihil legibus debeat, & grauiora latronũ ſuſtinere cogatur ſupplicia, qui loquatur iuſtè, & non audiatur: qui loquatur plena ſalutis, & impugnetur: vt poſſit dicere: Cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Gratis igitur perſecutionem patitur, qui impugnatur ſine crimine, impugnatur vt noxius, cum ſit in tali confeſſione laudabilis; impugnatur quaſi veneficus, qui in nomine Domini gloriatur, cum pietas virtutum omnium fundamentum ſit.

℞. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum. * Et dedit illi claritatem æternam, ℣. deſcenditque cum illo in foueam: & in vinculis non dereliquit eum. *Et dedit. Benedictio Chriſtus perpetuæ.

Lectio

Lectio v.

VEre fruſtra impugnatur, qui apud impios, & infideles impietatis accerſitur, cum fidei ſit magiſter. Verum qui gratis impugnatur: fortis debet eſſe, & conſtans. Quomodo ergo ſubtexuit: Et à verbis tuis trepidauit cor meum? Trepidare infirmitatis eſt, timoris, atque formidinis. Sed eſt etiã infirmitas ad ſalutem, eſt etiam timor Sanctorum: Timete Dominum omnes Sancti eius. Et Beatus vir qui timet Dominum. Qua ratione beatus? Quia in mandatis eius cupit nimis.

℟. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine. *Et voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. ℣. Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. *Et voluntate. Benedictio. Ignem ſui amoris &c.

Lectio

Lectio vj.

Pone ergo Martyrem inter pericula conſtitutum, cum inde immanitas beſtiarum ad incutiendum terrorem infremat, aliunde ſtridor cādentium laminarum, & flamma fornacis ardentis exæſtuet, ex parte alia perſonent tractus grauium catenarum, hinc carnifex cruentus aſſiſtat: pone inquā circumſpectantem omnia plena ſupplicijs, deinde cogitantem mandata diuina, illum ignem perpetuum, illud ſine fine incendium perfidorum, illam pœnæ recrudeſcentis ærumnam: trepidare corde, ne, dum præſentibus cedat, perpetuis ſe dedat exitiis: perturbari animo, dum futuri iudicii rhomphæam illam terribilem quadam conſpectus ſpecie contuetur. Nonne ad hanc trepidationem fiduciæ viri conſtantis ęqualis in eundem concurrit effectum confidentia cupientis æterna, & di-

uina

uina trepidantis.

℟. Stola iucunditatis induit eum Dominus;* & coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput eius.

℣. Cibauit illum Dominus pane vitæ & intellectus: & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum. Et coronam. Gloria. Et coronam.

In tertio Nocturno

Lectio S. Euangelij Secundum Lucam

IN illo tempore facta eſt contentio inter Diſcipulos, quis eorum videretur eſſe maior & reliqua.

Homil. Vener. Bedę Præsbit. Lect. vij°

CERTANTIBVS de Prioratu Diſcipulis, prius Magiſter eos non initæ contentionis arguit, ſed formam, quam ſequantur humilitatis, modeſta ratione deſcribit. In qua tamen forma obtinenda, maiores, &

præceſſores, id eſt Doctores Eccleſiæ, non minima diſcretione opus habent, ne videlicet Regum gentium inſtar dominari ſubiectis, ſeq; ab eis gaudeāt ſuperuacuis laudibus attolli, ſed ad exemplum Regis pręſint, efficiantur ac Miniſtri. Quia nimirum neceſſe eſt, vt ſic agentibus per humilitatem ſint ſocii, quatenus contra delinquentium vitia per Zelum iuſtitiæ, ſint erecti, vt & bonis in nullo ſe præferant, & cum prauorum culpa exigit poteſtatem, protinus ſui prioratus agnoſcant. Tu autem Domine &c.

℟. Corona aurea ſuper caput eius, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis. ℣. Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Expreſſa. Benedictio. Cuius feſtum colimus.

Lectio

Lectio viij.

NE enim præſidentis animus, ad electionem poteſtatis ſuæ delectatione rapiatur, recte per quendam ſapientem dicitur. Ducem te conſtituerunt noli extolli, ſed eſto in illis, quaſi vnus ex illis. Hinc etiam Petrus ait: Non dominantes in Clero, ſed forma facti gregi. Et tamen nonnunquam grauius delinquitur, ſi inter peruerſos plus æqualitas, quam diſciplina cuſtodiatur: quia enim falſa pietate ſuperatus, ferire Heli delinquentes filios noluit, apud diſtrictum Iudicem ſemetipſum cum filiis crudeli damnatione percuſſit. Vnde neceſſe eſt, vt Rectorem ſubditis, & Matrem pietas, & Patrem exhibeat diſciplina. Atque inter hæc ſollicita circumſpectione prouidendum, ne aut diſtrictio rigida, aut pietas ſit remiſſa. Tu autem Domine. &c.

℟. Hic eſt verè Martyr, qui pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fudit. * Qui minas Iudicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quęſiuit, ſed ad Cæleſtia Regna peruenit. ℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtēdit illi Regnum Dei. * Qui Gloria. * Qui Benedictio. Ad ſocietatem.

Pro S. Pantaleone Martyre.

Lectio ix.

PANTALEON Nicomedienſis, nobilis medicus, ab Hermolao presbytero ad Ieſu Chriſti fidem eruditus, baptizatus eſt: qui mox patri Euſtorgio perſuaſit, vt Chriſtianus fieret. Quare cum Nicomediæ poſtea Chriſti Domini fidem liberè prædicaret, & ad eius doctrinā omnes cohortaretur, Diocletiano Imperatore, equuleo tortus, & admotis ad eius corpus laminis cādentibus cru

ciatus

ciatus eſt: quam tormentorum vim, æquo & forti animo ferens, ad extremum ſecuri percuſſus, martyrii coronā adeptus eſt. Tu autem Domine &c.

Pro commem: S. Pantaleonis mar. ad Laudes.

ISte Sanctus pro lege Dei ſui certauit vſque ad mortem, & a verbis impiorum non timuit; fundatus enim erat ſupra firmam petram.

℣. Gloria, & honore coronaſti eum Domine. ℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotēs Deus vt intercedente beato Pantaleone martyre tuo, & a cūctis aduerſitatibus liberemur in corpore: & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum.

Digitized by Google

Sexta die infra octauam fit de SS. Nazario ect. mar. cum com. octauæ.

Septima die infra octauam fit de S. Martha Virgine cum com. octauę.

In die octaua S. Apollinaris

In primo Nocturno

Lectio de ſcriptura occurrenti.

In ſecundo Noct.

Sermo Beati Chryſologi Epiſcopi Rauennatis. Lect. iiii.

BEATVS Apollinaris primo ſacerdotio ſolus hanc Eccleſiam Rauennatem vernaculo, atque inclyto Martyrii honore decorauit meritò Apollinaris, quia iuxta mandatum Dei ſui hic perdidit animā ſuam, vt eā inueniret in vitam ſempiternam. Beatus qui ita curſum conſummauit, fidem ſeruauit, vt verè primus à credentibus ſuo reperiretur in loco. Nec eum quiſque confeſſoris vocabulo mi-

norem

norem credat eſſe; quam Martyrem, quem Dei nutu quotidianum, & multiplicem reuerſum conſpicit ad agonẽ. Audi Paulum dicentem; Quotidie morior, ſemel mori parum eſt eum, qui poteſt Regi ſuo glorioſam ſæpè de hoſtibus referre victoriam. Non tam mors, quam fides, & deuotio Martyrem facit, & ſicut virtutis eſt, in acie: in conflictu, pro Regis amore ſuccumbere: ita perfectę virtutis eſt, diu agere, & conſumare certamina.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum. * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. deſcenditque cum illo in foueam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit. Benedictio. Chriſtus Perpetuæ.

Lectio v.

NOn ideo perſecutus eſt Martyrem, quia non intulit mortem, ſed probauit Martyrem: quia non elicuit fidem, iniecit tela, quę

potuit,

potuit,& omnia armorum ſuorum genera callidus exegit inimicus, nec tamen fortiſſimi ductoris mouere mentem potuit, aut temerare conſtantiam. Summum eſt fratres, pro Domino præſentem vitam, ſi neceſſe ſit contemnere, ſed glorioſum eſt etiam cum vita mundum temnere, & conculcari cum Principe: Feſtinabat Chriſtus ad Martyrem, Martyr ſuum feſtinabat ad Regem. Bene diximus feſtinabat iuxta illud Prophetæ. Exurge in occurſum mihi, & vide. Sed vt propugnatorem ſuum ſibi Eccleſia ſancta retineret, Chriſto vehementer occurrit, vt vincenti iuſtitiæ reſeruaret Coronam, & ſibi belli tempore prælıatoris ſui præſentiam condonaret. Fundebat ſæpè confeſſor ſanguinem ſuum, ſuiſq; vulneribus fide mentis ſuę teſtabatur auctorem.

℟. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine. Et voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. ℣. Quoniam præuenisti

uenisti eum in benedictionibus dulce-
dinis: poſuiſti in capite eius coronam
de lapide pretioſo. Et Voluntate. Be-
nedictio. Ignem ſui amoris &c.

Lectio vj.

CAelum ſuſpiciens, carnem de-
ſpiciebat, & terram. Vinci ta-
men renuit, & à ſuo deſiderio
retardari Martyrem, tenera adhuc Ec-
cleſię impetrauit infantia. Infantiam
dico fratres, quæ totum ſemper obti-
net, quæ plus lachrymis, quam virium
ratione contendit. Neque enim tan-
tum vultus, & ſudor fortium, quan-
tum poſſunt lachrymæ paruulorum:
quia ibi corpora; hic corda frangun-
tur: ibi mentis iudicia vix mouentur,
hic tota pietas inclinata deſcendit. Et
quid plura fratres? Egit, egit Eccleſia
ſancta Mater vt nuſq; à ſuo ſepararetur
Antiſtite. Ecce viuit, ecce vt bonus
Paſtor ſuo medius aſſiſtit in grege: nec

vnquam ſeparatur ſpiritu, qui corpore præceſſit ad tempus, præceſſit (dico) habitu, cæterumipſa inter nos corporis ſui habitatione quieſcit. Extinctus eſt diabolus, perſequutor occubuit, ecce regnat cum Patre, in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſęcula ſęculorum.

℟. Stola iucunditatis induit eum Dominus, * & coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput eius.

℣. Cibauit illum Dominus pane vitæ & intellectus: & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum. * Et coronam. Gloria. * Et coronam.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euang elij ſecundum Lucam.

IN illo tempore facta eſt contentio inter Diſcipulos, quis eorum videretur eſſe maior. Et reliqua.

De Homilia Venerabilis Bedę Presbyt. Lectio vij.

AD verba exhortationis ſumet adiungit exempla, quæ Ioannes Euangeliſta plenius commemorans inter cętera ſcribit. Si ergo laui veſtros pedes Dominus, & Magiſter, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Quamuis etiam verbo miniſtrandi, poſſint omnia, quæ Deus in carne geſſit, intelligi. Nam, & ipſum ſui ſanguinis ſacramentum miniſtrãdum nobis ſe effundere ſignificat: cum dicit ſicut filius hominis, non

venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis. Et hoc quoque maioribus Eccleſiæ præcipuum miniſtrandi genus imitandum oſtendens, vt non ſolum miſericordiis, Eleemoſinæ, doctrinæ ſalutaris, ſpiritualis exempli miniſteria fratribus impendamus; verum etiam ſicut ille pro nobis animam ſuam poſuit, ita et nos proinuicem animam ponere diſcamus. Tu autem Domine &c.

℟. Corona aurea ſuper caput eius, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria, honoris, & opus fortitudinis. ℣. Quoniam preueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo. Expreſſa. Benedictio. Cuius feſtum colimus.

Lectio viij.

NOn inchoatio patientię, ſed perſeuerantia, cęleſtis Regni gloria donatorum. Quia nimirum perſeuerantia, quæ alio nomine conſtantia vocatur, robur quoddam, & fortitudo mentis cunctarum, quæ (vt ita dixerim) eſt columna virtutum. Quę cum bene recta, & firma conſiſtit, nihil eſt certius, nihil tutius bonis moribus. Quod ſi aliquo deijciatur impulſa turbine, non ſola labitur, omnia enim prorſus animi bona ſimul corruunt. Sic ergo Pater diſpoſuit Filio Regnum, quem factum obedientem, vſque ad mortem, mortem autem Crucis, exaltauit, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ſic, & Filius idem permanentes ſecum in tentationibus, æternum ducet ad Regnum &c.

℟. Hic eſt verè Martyr, qui pro Chriſti nomi-

nomine ſanguinem ſuum fudit. ℟ Qui minas Iudicum non timuit, nec terrenę dignitatis gloriam quæſiuit, ſed ad Cæleſtia Regna peruenit. ℣ Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi Regnum Dei. ℟ Qui. Gloria. ℟ Qui. Benedictio. Ad ſocietatem.

Pro SS. Martyr. Abdon & Sennen.

Lectio ix.

ABDON & Sennen Perſę, Decio Imperatore, accuſati, quod corpora Chriſtianorum, quę inhumata proiiciebãtur, in ſuo prędio ſepeliſſent, iuſſu Imperatoris comprehenduntur, & diis iubentur ſacrificare. Quod cum facere negligerent, & Ieſum Chriſtum Deum conſtantiſſime prædicarent, traditos in arctam cuſtodiam, Romam poſtea rediens Decius vinctos duxit in triumpho. Qui cum in vrbe ad ſimulacra attracti eſſent,

ſent, ea deteſtati conſpuerunt. Quamobrem vrſis, ac leonibus obiecti ſunt, quos feræ non audebant attingere, Demum gladiis trucidati, colligatis pedibus tracti ſunt ante ſolis ſimulacrum: quorum corpora, clam inde aſportata, Quirinus Diaconus ſepeliuit in ſuis ędibus.

Pro com. SS. Abdon. & Sennen mar.

Ad Laudes.

Aña. Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt: nolite timere: multis paſſeribus meliores eſtis ſuos.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus ſuis.

Oratio.

DEus qui Sanctis tuis Abdon, & Sennen ad hanc gloriam veniendi copioſum munus gratiæ contuliſti, da famulis tuis ſuorum veniam peccatorum,

torum, vt Sanctorum tuorum intercedentibus meritis. ab omnibus mereamur aduerſitatibus liberari. Per Dominum.

HYMNVS SANCTORVM Ambroſij, & Auguſtini.

TE Deum laudamus: te Dominũ confitemur.

T e æternum Patrem: omnis terra veneratur.

T ibi omnes Angeli, tibi cæli, & vniuerſæ poteſtates.

T ibi Cherubim, & Seraphim: inceſſabili voce proclamant.

S anctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus ſabaoth.

P leni ſunt cæli & terra: maieſtatis gloriæ tuæ.

T e glorioſus Apoſtolorum chorus.

T e Prophetarum laudabilis numerus.

T e Martyrum candidatus laudat exercitus.

T e per Orbem terrarum ſancta confi-
tetur Eccleſia.

P atrem immenſæ maieſtatis.

V enerandum tuum verum,& vnicum
Filium.

S anctũ quoque Paraclitum Spiritum.

T u Rex gloriæ Chriſte.

Tu Patris ſempiternus es Filius.

T u ad liberandum ſuſcepturus homi-
nem: non horruiſti Virginis vterũ.

T u deuicto mortis aculeo: aperuiſti
credentibus regna cęlorum.

T u ad dexteram Dei ſedes: in gloria
patris.

Iudex crederis eſſe venturus.

T e ergo quęſumus tuis famulis ſubue-
ni: quos pretioſo ſanguine rede-
miſti.

Aeterna fac cum ſanctis tuis in gloria
numerari.

Saluum fac popolum tuum Domine:
& benedic hęreditati tuæ.

Et rege eos: & extolle illos vſque in
æternum.

Per ſingulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſęculi.

Dignare Domine die iſto: ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine: miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperauimus in te.

In te Domine ſperaui: non confundar in ęternum.

AD LAVDES.

DEvs in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. ℟. Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen. Alleluia.

Aña. Qui me confeſſus fuerit coram hominibus confitebor & ego eum coram Patre meo.

Pſalmus 92.

DOMINVS regnauit, decorem indutus eſt: * indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.

Etenim firmauit orbem terræ: * qui non commouebitur.

Parata ſedes tua ex tunc: * à ſęculo tu es.

Eleuauerunt flumina Domine: * eleuauerunt flumina vocem ſuam.

Eleuauerunt flumina fluctus ſuos: * à vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris: * mirabilis in altis Dominus.

Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis: * domum tuam decet ſanctitudo Domine, in longitudinem dierum.

Gloria Patri, &c.

Aña. Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum

coram Patre meo.

Aña. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, dicit Dominus.

Pſalmus 99.

IVbilate Deo omnis terra:* ſeruite Domino in lætitia.

Introite in conſpectu eius:* in exultatione.

Scitote, quoniam Dominus ipſe eſt Deus:* ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

Populus eius, & oues paſcuæ eius;* introite portas eius in confeſſione, atria eius in hymnis, confitemini illi.

Laudate nomen eius; quoniam ſuauis eſt Dominus, in ęternum miſericordia eius,* & vſque in generationem, & generationem veritas eius.

Aña. Qui ſequitur me, non ambulat

in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, dicit Dominus.

Aña. Qui mihi miniſtrat, me ſequatur: & vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus.

Pſalmus 62.

DEus Deus meus:* ad te de luce vigilo.

Sitiuit in te anima mea:* quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deſerta, & inuia, & in aquoſa;* ſic in ſancto apparui tibi, vt viderē virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas.* labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea, * & in nomine tuo leuabo manus meas.

Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui ſuper ſtratum meū in matutinis meditabor in te:* quia fuiſti

ſuiſti adiutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo: adhæſit anima mea poſt te:* me ſuſcepit dextera tua.

Ipſi verò in vanum quæſierunt animã meam, introibunt in inferiora terræ:* tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo:* quia obſtructum eſt os loquentium iniqua. Hic non dicitur Gloria.

Pſalmus 66.

DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis:* illuminet vultum ſuũ ſuper nos, & miſereatur noſtri.

Vt cognoſcamus in terra viam tuam:* in omnibus gentibus ſalutare tuum:

Confiteantur tibi populi Deus:* confiteantur tibi populi omnes.

Lętentur, & exultent Gentes, quoniam iudicas populos in ęquitate:*

& Gentes

& Gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: * terra dedit fructum ſuum.

Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: * & metuant eum omnes fines terræ.

Añą. Qui mihi miniſtrat, me ſequatur: & vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus.

Aña Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui eſt in cælis, dicit Dominus.

Canticum trium puerorum.

BENEDICITE omnia opera Domini Domino: * laudate, & ſuper exaltate eũ in ſęcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: * benedicite cæli Domino.

Benedcite aquę omnes, quæ ſuper cęlos ſunt, Domino: * benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Be-

Benedicite ſol, & luna Domino: * benedicite ſtellæ, cæli Domino.

Benedicite omnis imber, & ros Domino: * benedicite omnis ſpiritus Dei Domino.

Benedicite ignis, & æſtus Domino: * benedicite frigus, & ęſtus Domino.

Benedicite rores, & pruina Domino: * benedicite gelu, & frigus Domino.

Benedicite glacies, & niues Domino: * benedicite noctes, & dies Domino.

Benedicite lux, & tenebræ Domino. * benedicite fulgura, & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: * laudet, & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite montes & colles Domino: * benedicite vniuerſa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: * benedicite maria, & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia, quæ mouentur in aquis Domino: * benedicite omnes volucres cæli Domino.

Bene-

Benedicite omnes beſtiæ, & pecora Domino: * benedicite filij hominum Domino.

Benedicat Iſrael Dominum: * laudet, & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino: * benedicite ſerui Domini Domino.

Benedicite ſpiritus, & animę iuſtorum Domino: * benedicite ſancti, & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Miſaël Domino: * laudate, & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu: * laudemus, & ſuper exaltemus eum in ſæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cæli: * & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.

Non dicitur Gloria Patri.

Aña. Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui eſt in cælis, dicit Dominus.

Añt. Volo Pater, vt, vbi ego ſum, illic ſit, & miniſter meus.

Pſalmus 148.

LAudate Dominum de cælis:* laudate eum in excelſis.

Laudate eum omnes Angeli eius,* laudate eum omnes virtutes eius.

Laudate eum, ſol, & luna:* laudate eum omnes ſtellæ,& lumen.

Laudate eum cæli cęlorum:* & aquę omnes, quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini.

Quia ipſe dixit, & facta ſunt:* ipſe mandauit,& creata ſunt.

Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi:* præceptum poſuit, & non pręteribit.

Laudate Dominum de terra:* dracones,& omnes abyſſi.

Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum:* quæ faciunt verbum eius.

Montes, & omnes colles: * ligna fructifera, & omnes cedri.

Beſtiæ, & vniuerſa pecora: * ſerpentes, & volucres pennatæ.

Reges terræ, & omnes populi: * principes, & omnes iudices terræ.

Iuuenes, & virgines, ſenes, cum iunioribus, laudent nomen Domini: * quia exaltatum eſt nomen eius ſolius.

Confeſſio eius ſuper cælum, & terrã: * & exaltauit cornu populi ſui.

Hymnus omnibus ſanctis eius: * filijs Iſrael, populo appropinquanti ſibi: Hic non dicitur Gloria.

Pſalmus 149.

CAntate Domino canticum nouum: * laus eius in Eccleſia ſanctorum.

Lætetur Iſrael in eo, qui fecit eum: * & filiæ Sion exultent in rege ſuo.

Laudent nomen eius in choro: * in tympano, & pſalterio pſallant ei.

Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo :* & exaltabit manſuetos in ſalutem.

Exultabunt ſancti in gloria :* lætabuntur in cubilibus ſuis.

Exaltationes Dei in gutture eorum :* & gladij ancipites in manibus eorũ.

Ad faciendam vindictam in nationibus :* increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus :* & nobiles eorum in manicis ferreis.

Vt faciant in eis iudicium conſcriptum :* gloria hęc eſt omnibus ſanctis eius. Hic non dicitur Gloria

Pſalmus 150.

LAudate Dominum in ſanctis eius :* laudate eum in firmamento virtutis eius.

Laudate eum in virtutibus eius :* laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius.

Lau-

Laudate eum in ſono tubæ: * laudate eum in pſalterio,& cithara.

Laudate eum in tympano,& choro: * laudate eum in cordis, & organo.

Laudate eum in cymbalis bene ſonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: * omnis ſpiritus laudet Dominum.

Gloria Patri,&c.

Aña.Volo Pater,vt, vbi ego ſum, illic ſit,& miniſter meus.

CAPITVLVM.

Beatus vir, qui ſuffert tentationẽ: quoniam cum probatus erit accipiet coronam vitæ,quam repromiſit Deus diligentibus ſe.

HYMNVS.

MARTYR, Inuicte vnicum
Patris ſecutus filium
Victis triumphas hoſtibus
Victor fruens cęleſtibu
Tui precatus munere

Noſtrum

Digitized by Google

Noſtrum reatum dilue,
Arcens mali contagium,
Vitę repellens tędium.
Soluta ſunt iam vincula
Tui ſacrati corporis:
Nos ſolue vinclis ſæculi,
Dono superni Numinis.
Deo Patri ſit gloria,
Eiuſque ſoli Filio,
Cum Spiritu paraclito,
Nunc, & per omne ſęculum. Amen.

℣. Iuſtus vt palma florebit. ℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Bened. Aña. Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.

Canticum Zachariæ Luc. 1.

BENEDICTVS Dominus Deus Iſrael: * quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuę.
Et erexit cornu ſalutis nobis: * in domo Dauid pueri ſui.

Sicut

S icut locutus eſt per os ſanctorum :* qui à ſæculo ſunt prophetarũ eius

S alutem ex inimicis noſtris :* & de manu omnium, qui oderunt nos.

A d faciendam miſericordiam cum patribus noſtris :* & memorari teſtamenti ſui ſancti.

I uſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum :* daturum ſe nobis.

V t ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati,* ſeruiamus illi.

I n ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo :* omnibus diebus noſtris.

E t tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis :* præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.

A d dandam ſcientiam ſalutis plebi eius :* in remiſſionem peccatorum eorum.

P er viſcera miſericordiæ Dei noſtri :* in quibus viſitauit nos oriẽs ex alto.

I lluminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent:* ad dirigẽdos

pedes

pedes noſtros in viam pacis.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Aña. Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.

ORATIO.

DEus, fidelium remunerator animarum, qui hunc diem beati Apollinaris ſacerdotis tui martyrio conſecraſti: tribue nobis quęſumus famulis tuis; vt cuius venerandam celebramus feſtiuitatem, precibus eius indulgētiam conſequamur. Per Dominum noſtrum, &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ad horas,

Omnia ex communi vnius Marthris.

In ſecundis Veſperis:

Omnia vt in primis, ſed loco vlt. dici. tur Pſal. Credidi vide ſup. fol. 13.

FINIS.